corporis hoste depulso uictoria debetur. Sed ille quasi homo su-
is temptatur, hic publicis. Illi patrimonium aufertur, huic regnum
orbis offertur. Hec totus sine fraude diabolus qui exaspera-
re dei filium uereretur; illum iniuriis temptat, hunc premiis. Ille qua-
si seruulus dicit: dominus dedit, dominus abstulit; hic nature sue di-
spositionisque conscius, sua sibi uidet offerri. Et ut ad illud
reuertamur: ingruit nuntius super nuntium, congeminantur
uulnera, nec tamen fortis ad letha mente turbatur. Adhibetur
mulier prime fraudis illecebra; hic per uirginem natus erro-
ri obnoxiam non habebat. Amici adhibentur qui prauis consiliis
opprimant reluctantem; sed in omnibus que acciderant ei nusquam
peccauit iob labiis suis in conspectu dei. Nam quod maledicit diei
dicens: pereat dies illa in qua natus sum, et infra, et maledicat
eis qui maledixit diem illam, qui habet magnum cetum opprimere,
ad prophetiam pertinet, eo quod diabolum tanquam procellosi seculi istius
cetum dominus noster iesus christus oppressit, et generationis sue carnalis
diem perire desiderat, ut dies eius in regeneratione numeretur.
Pereat inquit dies secularis, ut dies spiritalis oriatur. Ergo in temptati-
one sanctus iob mysteria loquitur. Qui enim uincebat sensim, christum
uidebat. Nos igitur non timeamus temptationes, sed magis in temptatio-
nibus gloriemur dicentes: Quando infirmamur, tunc potentes
sumus; tunc enim nectitur corona iusticie. Sed illa paulo for-
tassis accommoda; nos autem quia plures corone sunt, quamcumque spera-
re debemus. In seculo laurus corona est, corone scutum; at uero tibi
proposita est corona deliciarum. Corona enim deliciarum obumbra-
bit te. Et alibi: Scuto uoluntatis sue circumdabit te. Gloria quo-
que et honore, quem dilexit dominus coronauit. Ergo qui uult coro-
nam dare, temptationes suggerit. Et si quando temptaris, cognosce
quia paratur corona. Tolle martyrum certamina, tulisti coro-
nas. Tolle cruciatus, tulisti beatitudines. Nonne temptatio